Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799

Quelle:
Copyright:

triplex difficile rumpitur. Funiculus quo a terra trahimur ad celum eſt fides ſpes caritas &c. et claditur: *ad ſedes ſidereas transferuntur. Ad quas nos perducat Deus Amen.* Rariſſimus certe eſt, et praeter *Spizelium* a ſolo *Laur. Pignon* memoratus, qui Autorem *Lombardum* vocat, et cui nec *Mazzuchellius*, neque ipſi Bibliothecarii Ord. T. I. p. 681. quidquam addere potuere. Ante Seculum XV. ſcripſiſſe vel Codex noſter loquitur.

IX. *fol.* 109. *Incipit Quadripartita.* Quid hoc? Apologorum Moralium Libri IV. quos olim e Codice *Corviniano Viennae* 1630. 12. editos nimium facile *Cyrillo* cuidam adtribuit *Balt. Corderius* e Graeco verſos ratus, et nos non ſemel et hoc, et ſuperiore *Vol.* retulimus. Textus hic integer eſt, ſed dictio frequenter variat. Praefatio orditur: *Secundum Ariſtotelis ſententiam in probleumatibus ſuis. Quoniam quid in exemplis addiſcendo gaudeant omnes, in diſciplinis moralibus hoc tamen amplius placet* &c. Cum de Autore nihil dum certi habeamus, advertit me tamen L. III. *Apologus* 23. nobis *fol.* 140. p. 2. edit. *Corder.* p. 265. qui incipit: *Semper inundanti Danubio ſic locutum eſt aequor.* et finit: *Quibus dictis magis Danubius redundavit.* Quid non *Rhenus*, *Tiberis*, *Rhodanus* &c. niſi quod *Danubii* ripas adcoluit Autor?

CCCCXVI.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 66. f. min. eleganter exaratus, coloribus diſtinctus, et Bibliothecae a. 1721. oblatus a *Thoma M. Alfano* O. P. de quo *Mazzuchellius Scritt. d'Italia Vol.* I. P. 1. continet ſequentia: I. *Incipit. Cur Deus Homo. Liber Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi.* Initium: *Sepe et ſtudioſiſſime a multis rogatus ſum* &c. Absque Librorum aut Capitum indicatione nobis decurrit; Pars tamen altera: *Rationalem naturam a Deo factam eſſe* &c. unciali litera diſtinguitur. Lectio contenta cum edit. *Pariſ.* 1721. p. 74. f. raro ab ea diſſentit. C. 1. pro *ſufficere debeat* Codex habet *ſufficere credebatur.* Clauſula miniata: *Explicit liber cur deus homo.* R. 51

II. *fol.* 37. p. 2. *Incipiunt ſententiæ quorundam philoſophorum.* Sumendum ampliſſime. Initium enim a *Cicerone: Nullæ ſunt occultiores inſidiæ, quam hæ quæ latent in ſimulatione officii.* Sequuntur Graeci, corruptis etiam nominibus, ut *Menefranes*, *Vias pereneus*, pro *Menecrate* et *Biante Prieneo.* Praecepta Pythagorica: *Stateram ne tranſilias* (Ζυγον μη ὑπερβαινειν) addita expoſitione: *id eſt, ne pretergrediaris iuſticiam* &c. nobis inſcripta ſunt *Enigmata ariſtotelis*, fortaſſe, quia hic ea quondam expoſuit. Deinceps *Seneca* magnam facit paginam, non tantum promiſcuis ſententiis, ſed etiam ad capita revocatis, puta: *de continentia, prudentia, magnanimi-*